



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Precarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

liter præsumptus, quo accipiens credat tradentem esse legitimum rei traditæ dominum: ultima conditio est tempus ad præscriptionem bonorum mobilium quæ propriè vocatur usucapio, requiritur spatium trium annorum cum titulo & bona fide inter præsentem; inter absentes vero requiritur spatium quatuor annorum: ad præscriptionem verò rerum immobilium requiritur contra privatos spatium decem annorum inter præsentem, & inter absentes spatium viginti annorum; at contra rem immobilem Ecclesiæ & loca pia, (excipe Romanam Ecclesiam,) requiritur spatium quadraginta annorum. *tom. 2. de restitutione in genere, dist. 1. quæst. ult. punct. 2 §. 2 num. 1. 2. 5. 14. 15. 22 & 28.*

2. Ex dictis sequitur, habentem rem alienam apud se depositam, vel commodatam, vel conductam, non posse eam præscribere, quia eam non possidet suo nomine: & religiosum non posse aliquid præscribere, cum in eo deficiat capacitas activa; similiter neque hominem liberum præscribi posse, deficit enim capacitas passiva: sequitur præterea, debitorem qui jam triginta annis elapsis non solvit debitum, non posse illud præscribere, cum non dicatur habere bonam fidem, & cum qui gratis aliquid solvit singulis annis non acquirere obligationem idem semper solvendi, quia non adest titulus, quo quem acquirat obligationem solvendi. *Ibid. n. 4. 7. 9. 16. & 20.*

3. Adverte autem, præscriptionem currere & non interrumpi, quando possessio unius rei transit de uno ad alterum ita ut si computato tempore utriusque possidentis elapsum sit tantum temporis, quantum requiritur ad præscriptionem, res censetur præscripta, modò uterque possessor bonam fidem possiderit. *Ibid. num. 21.*

4. Legitima præscriptio excusat à restitutione, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientie; nam possidens rem alienam bona fide, facit illam suam per continuationem temporis à lege constituti; nullus autem tenetur ad restitutionem rei, cuius habet dominium: verum tamen est, minoribus, locis piis, ac Ecclesiis concedi restitutionem in integrum auctoritate iudicis. *Ibid. num. 33. & 34.*

#### Præcarium.

1. Præcarium est contractus, quo quis concedit aliquid alteri, cum potestate illud repetendi quoties voluerit. Dicitur præ-

precarium eò quod fiat precibus illius, in cuius commodum conceditur. In precario requiritur traditio rei, & ut ille qui tradit precarium, possit illud reperere, quoties voluerit, nisi aliter postulet charitas; ut accidit, quando non potest reperere sine gravissimo detrimento illius qui precarium accepit. Et præterea in precario non potest pactum iniiri, ut ille qui tradit precarium, non possit reperere, nisi post certum tempus; hoc enim repugnat contractui precarii *tom. 2. de Contractibus, dist. 1. q. 15. punct. unic. num. 1. & seq.*

2. Precarium finitur vel voluntate illius qui illud concessit, vel per venditionem precarii factam à domino; vel per mortem illius qui accepit precarium. Quod si precarium concessum sit sub hac forma, *usque ad meum beneplacitum, donec voluero*, precarium expirabit morte concedentis, ut videtur *v. Privilegium. ibid. num. 5.*

*Princeps.*

Vide *v. Privilegium.*

*Privilegium.*

Vide *v. Lex.*

1. Privilegium est lex, qua conceditur aliquid speciale. Multiplex est privilegium, aliud scriptum, aliud non scriptum, aliud reale, quod directè conceditur alicui rei, ut loco, dignitati, aliud personale, quod conceditur immediatè personæ ratione sui; aliud gratiosum, aliud remuneratorium, aliud conventionale, & aliud purum, aliud perpetuum, aliud temporale seu quod impleta tali vel tali conditione cessat. *tom. 2. de Legibus in genere, & in particulari, dist. 1. q. 3. punct. 1. num. 1. & seq.*

2. Privilegium ab eo conceditur à quo lex ferri potest, & consequenter Imperator & Rex possunt existentibus in sua ditione, & Papa directè in spiritualibus omnibus privilegia concedere. Episcopus quoque potest in propriis statutis privilegia suis subditis conferre. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

3. Privilegia contra jus illi tantummodò concedi possunt, qui aliquo modo sunt subditi, quia cum per privilegium homo eximatur a lege, illis solum concedi possunt, qui sunt aliquo modo subditi. *ib. n. 5.*

L. 2

4. Pri-